

PRAEFATIO.

in aspectum lucemque eruditorum nunc prodit, Parte praeter tres ad Cornelii Taciti Germaniam a IO. STRAUCHIO editas elegantissimas h) *Dissertationes*, et illam, quae i) *de Regno Arelatensi* inscribitur, comprehendere volui, temporis exiguitate prohibitus, ne plura eiusdem Opuscula iam potuerint excudi. Ad priores, nempe ad *Tacitum Dissertationes* quod attinet, harum altera Vir celeberrimus *Germanos esse* k) *indigenas* probavit, altera *de modis acquirendi priscorum Germanorum tractavit*, tertia denique *de armis Germanorum eorumque ad rempublicam usu*, luculenter, et plane ex fontibus exposuit, editae ab illo omnes eo tempore, quo Lipsiae docendarum Latinae Linguae et historiarum publico muneri adhuc vacabat. Atque utinam licuisset divino viro telam, quam explicando Tacitum tribus istis Dissertationibus exorsus erat, pertexere, nihil amplius requiri posset. Verum aliis forte occupationibus postea districtus ille, egregio et perutili hoc labore supersedere fuit coactus, quo certe aegre caremus. Sunt quidem, quod fateri necesse habeo, multi, qui memoratum Taciti de moribus Germanorum scriptum suis animadversionum accessionibus ka) locupletarunt, pauciores tamen parem cum *Strauchio* nostro laudem inde fuisse consecutos, id facile mihi quilibet concedet, cui evolventi perscrutandiq; illas, ac denique cum *Strauchianis* easdem conferendi et tempus fuit et occasio. Quae cum ita sint, non

h) Sunt haec celeberrimi viri ad Taciti Germaniam *Dissertationes* prima vice annis 1650. et 1651. Lipsiae editae, dein vero ex autographo Auctoris auctae et emendatae, una cum eiusdem specimine *Institutionum Iuris Publici*, cura IO. GEORG. KVLPIII, de novo impressae Francofurti 1683, 8.

i) edit. Ienae 1674, 4.

k) Confer ea, quae de hoc Germanorum indigenatu fuerunt notata ab *Illustri Autore Gundlingianorum* in erudita observatione, *de Twistone, Germanorum parente*, part. II. p. 211. et 212.

ka) Censet IACOBUS TOLLIVS in *epistolis itinerariis* (quas ex Auctoris schedis posthumis recensitas, suppletas, digestas, ac annotationibus et figuris adornatas *Henr. Christian. Henninius* Amstelod. 1700, 4. edidit) eum, qui in Taciti libellum de moribus Germanorum commentarium scribere voluerit, *Westphalos*, in quorum, praesertim rusticorum sordes invenitur, tantum adire debere, inventurum illic uberrimam commentandi materiam. Adde HENNIIVM in *observationibus ad b. l. p. 21. et seqq.*